DOLOR PUBLICUS

Luctus & Jactura SÆCULORUM

JLLUSTRISSIMUS EXCELLENTISSIMUS

DOMINUS

D. STANISLAUS DENHOFF.

Sacri Romani Imperii COMES,

PALATINUS POŁOCENSIS,

Campi-DUX Exercituum M. D. Lithvaniæ,

Neokorczynensis, Latovicensis, Kościerzynensis, Káłusynensis &c: &c:

CAPITANEUS.

Polonæ & Lithvanæ

Scholarum Piarum Provinciæ

PROTECTOR.

Sub tempus Publicarum Regni Conferentiarum VARSAVIÆ Celebratarum,

Ab Universa Republica, justis Parentalibus

COMPLORATUS.

à Polona & Lithvana Scholarum Piarum Provincia, in Fastos immortalis memoriæ, Styli mærentis officio

RELATUS.

Annno 1730. Die Februarii.

VARSAVI[illegible]is S.R. Majestatis & Rei-Publicæ in Collegio Scholarum Piarum.

Virum, quem multa sæcula unum dederunt, multa sæcula, non satis deplorabunt.

Orat: Funebr: Ludov: Magn:

ILLVSTRISSIMI
REVERENDISSIMI EXCELLENTISSIMI
C O M I T E S
D E N H O F F I I.

NIſi ſæcula in noſtrum dolorem contribuerent, nunquam ſatis Dux, Palatinus DENHOFFIUS deploraretur. Quāquam neq́; ſic ſufficienter deploratur. Egit vitam ſæculis memorabilem & imitandam; in morte ejus, ſæcula neceſſe nænias occinant, funeri æternitas parentet. Et Nos,

poſt

post fata Magni Protectoris, sincerè dolentium Pars magna sumus. Has aliquot, pallentes mærore paginas, perennis gratitudinis Monumenta, gemitu oneramus, non sensu: sensum enim intercepit ingens de obitu Tanti Viri afflictio. Vos superstites Jllustrissimi Comites **DENHOFFII**, fata Ducis **PALATINI** ulciscimini: Successibus æternis, vita sæculis perenniori ad solatium

JLLUSTRISSIMIS REVERENDISSIMIS EXCELLENTISSIMIS

Dominationibus Vestris

Devinctissimæ

Provinciæ Polonæ Scholarum Piarum.

SI tantùm liceret lachrymari, quantùm dolemus: quidquid omni hominum fortunæ ſupereminet, noſtris abſorberetur gemitibus. Grandes Magni Ducis Exuvias, mærore proſequimur non minori; fatali *Staniſlai* occubitu, ſternimur ſinguli, & tantum non univerſi occidimus. Valete Trabeati Pulveres, ito Palatine Cinis: abhinc lachrymis clepſydras implebimus, ut perennaturis in planctibus, vita effluat. Eò devenit contumaciæ luctus crudelis! ut nullam in ſeſe moderando ad-

mittat rationem; vaſtoq; doloris in Oceano, ne ſtillam ſolatii reperire datur. Utinam has ad lucernas, quas mortualibus his in tenebris, pullata Libitinæ accendit officioſitas, exacerbatæ triſtitiæ modum poſſemus invenire; utinã præficos ad ignes & funalia, humor ab oculis, in paginam pluvius lachrymarum, interea areſcat, ne ſcribentis interpolet characterem. Sed læſi ludimur: hæ ipſæ faces, hi cerei, extincto accenſi DENHOFFIO, multum calentes noſtros gemitus, vehementiùs accendunt; ſtylus funebris, cor ſauciat.

Fata enim STANISLAI DENHOFFII, totius Poloniæ comploratio; ſic Libertatis, vel Boni publici, plangeretur funus. Auguſta

Re-

Regni Nostri Serenitas, quot Sideris tanti propter occasum, mæroris nubila non admisit? omnium facies Purpurarum non murice, verùm lachrymis, madere visa; Martius ipse chalybs, dolore obriguit. Sed luctus ille, qui nostra interemit solatia, stylum truncavit. Amplius, nostro deserti à *Protectore*, non erimus diserti. Amat taciturnitatem & silentiũ, tristis animus. DENHOFFIANÆ Umbræ, nihil de luce Oratoria addemus. Memoriæ tantùm, Ducis & Senatoris æternùm memorandi, sequentes aliquot periodos, non eloquemur, sed tumultuatim spargemus, sine ullo verborum cultu & ordine; quis enim in tanta perturbatione, quæreret delicias, & apparatum, eloquentiæ?

 ME-

MEMORIÆ
CAPITIS
DENHOFFIANI.

STANISLAI DENHOFFII
Fortitudine, Dexteritate, Consilio,
Ducis, Ministri, Senatoris,
his Caput prominet è Cineribus,
Sol è Nubibus.

Caput:

Nova eruditionis Academia,
Viva ethicæ Universitas,
Cunæ Palladis.

Caput:

Cui pro vertice, Europa;
pro fronte,
Multa Sarmatiæ Lithvaniæq; Authoritas.
Corpus Rei-Publicæ hucusq; integrum,
DENHOFFIANO Capiti
egregiam suam debet figuram,
pro-

proportionem, ſalutem.
DENHOFFIUS
Heroum Anima, Mens Poloniæ,
Tutelaris Angelus Libertatis.
Patriæ ſalutem Conſilio,
Throno Regem Fortitudine,
Sandomirienſis Confæderationis,
Caput, Mareſchalcus,
reſtituit.
Rationem DENHOFFII,
Armorum Capita,
ceu ſuam Naves Cynozuram,
ſecuta ſemper.
Placet:
Vitam Palatinam DENHOFFII
incipiamus ut à Capite.
Ætatem teneram ſponſavit Muſis,
& Præſes habitus pro Apolline
Muſarum.
quoties Cytharam Apollinis pulſabat,
noſtræ toties felicitati præludebat;
B toties

toties & hodierno dolori
præludebat ſimul.
Eloquentiæ operam dedit,
non ut Diſcipulus,
ſed ut Legatus, ut Judex,
ut Publicus Orator.
Erat
Varſavienſi Scholarum Piarum Athæneo,
Diei Meridies, Regno Princeps,
Publici Primus Actus Theatri.
Ita Scholarum adita implebat,
ac ſi ſe ipſo, Europam impleturus.
Modeſtiæ & pietatis Cultor tenerrimus,
ab omnibus,
Ut quoddam Numen Juventutis
coli meruit.
JOANNI Tertio
Poloniarum Regi,
ita æſtimatus:
ut Philippo Alexander,
ut Arcadius Theodoſio.
Doctrinam:

quæ multis Capitibus comprehendi
vix poteſt,
ſuo cepit;
ita tamen,
ut locus plurimus ſupereſſet,
Magnis de Bono publico,
de Bono Religionis
cogitatibus.
Amorem & æſtimationem habuit
apud Omnes,
id eſt:
ſe habuit apud omnes,
omnium enim Amor erat
& Æſtimatio.
Scholis
ſvaviſſimum valedixit,
non Muſis;
has enim impreſſas
Nobili Gemmæ ſuæ
id eſt: Capiti,
ut quondam Pyrrhus annulo,

circumtulit ubiq;.
Exteras Nationes adivit;
Ipſe exteris Nationibus
ut quoddam Juventutis Miraculum
adiri dignus.
DENHOFFII
planta quælibet exotico in ſolo,
planta erat,
Antiqui Senatûs, Novi Exercitûs,
Novi Regni.
Ad ſoles alienos proceſſit, ut Aquila;
ad terras alienas,
ut Sol terrarum.
Impoſuit Romano Imperio
ut amaretur;
Regno Galliæ:
ut pro Gemma, & Flore Iuvenum,
haberetur:
Ubiquè ſecum
Honorem circumtulit Polonum
ut lucem Hyperion.

Redux

Redux in Patriam,
sollicitè curabat ampliare:
non divitias, non Aulæ pompam,
sed gloriam,
à Maioribus acceptam.
Vidisses
concertationem Trabearum,
æmulationem Curulium
pro DENHOFFIO;
Omnium enim Votum venerat.
Regni Ensifer salutatus,
Legifer, vel Sceptrifer poterat salutari.
Confæderationis Sandomiriensis,
& Generalium Comitiorum
electus Mareschalcus:
Talem Numina Consultantia,
aut contra Gigantes pugnantia,
Directorem & Arbitrum optarent.
Mox: M.D.L. Campestris Armorum
Imperator,
Regnorum eligi poterat.
 Pala-

Palatinam Połocenſem Purpuram indutus,
Regiam meruit induiſſe.
Habitum bene merendi de Patria
nunquam exuit,
niſi cum vitam, depoſuiſſet.
DENHOFFIUS
Splendor Procerum, Numen Senatûs
extinguitur!
itane Sidera intereunt, & Numina moriuntur?
Caput
regendo Orbi natum,
iſtasne annuiſti, in anguſtias!

MEMORIÆ
CORDIS
DENHOFFIANI.

Cor
Religione Catholicum,
Digni-

Dignitate Palatinum,
Regni Miniſterio, Ducale,
Sangvine DENHOFFIANUM,
ſepelitur in lachrymis.
Alij plumbeis, ut graviùs:
aureis, argenteisq́; alij, ut pompoſiùs;
alij marmoreis ut perenniùs
dolere viderentur,
quos amaverant,
tumulis condebant;
Nos
Cryſtallino in Monumento
quod uberes lachrymæ confecerunt,
Cor tumulamus DENHOFFII,
ut magis perſpicuum affectum noſtrum,
erga *Ducem Protectorem*,
toti reddamus æternitati.
Circumſpectiſſimus Heros Iſte,
ut vitam duceret,
ſe Magno Senatore dignam,
Ducem ſecutus Pietatem,
qvâ præeunte eò attigit,

quò aſpiratur à Viris grandibus.
Fiducia in Deum, Fidelitas in Regem,
geminæ DENHOFFIANI Cordis
Alæ erant;
quibus ſe,
ſupra omnem fortunæ viciſſitudinem
levabat.
Si Purpura Senatorem non probaſſet,
probaſſet zelus,
pro Domo Domini,
pro lege, libertate,
hoſtibus Patriæ, Eccleſiæ,
uſq; ad ſudores & ſanguinem
reſiſtere paratus.
Ad Curlandica negotia
bis Commiſſarius,
à Re-Publica Deputatus,
egit omnia more ſuo;
id eſt:
fortiter, ſvaviter, prudenter, regiè.
Findi Cor ſuum

DEN-

DENHOFFIUS putabat,
dum ſanguine Majorum
quæſita Provincia,
ſe reſcindere
à Regno intendebat;
mirâq; authoritate ac induſtriâ,
ſic partes univit differentes,
ut Gemma unit Annulum.
Fortunas proprias,
in uſum Honoris publici
impendit.
Vitam
arduis Regni obſequiis
victimavit.
Mentis erat ad omnes gratioſæ,
Cordis Paterni,
ita:
ut vel inde vocari meruerit,
Pater Patriæ.
Amavit juſtitiam ubiquè,
D vin-

vindictam nullibi.
hostibus timendus, non crudelis;
Amicis optabilis, non importunus;
Domesticis gratiosus, non gravis;
Subditorum Dominus, non Tyrannus.
Sine hærede Masculo decessit:
vel:
quia res pretiosæ non se propagant;
Sic Adamas,
non generat alium Adamantem,
nec sidus, aliud sidus.
vel:
ne sibi parem sub sole relinqueret,
ad instar Cujusdam Magni Numinis.
In Claro Monte reponi voluit,
Heroum Apex;
in Propugnaculo
Patriæ Defensor;
in loco miraculis famoso
Prodigium Heroum;
in Ædibus Mariæ Sacris,
Religionis

ſub Mariæ Nomine Militantis * *Scholarũ Piarum.
Æſtimator Magnus.
Vilnæ
Cor tumulandum reddidit
Scholis Pijs;
ut illas
etiam poſt mortem amaret.
Et tandem:
Cor
Magni Ducis Baſilicum,
in legum, libertatisq; negotia,
ſe amplius non movet!
Sic in Cineres, terramq; reſolvimini
Ingentes Viri.
Quieſce Cor,
Amoris Regio
hac Jlluſtrium Umbrarum
in Regione;
Cor
ſolis in pectore reponi Dignum,

intra nos vive.
Quiesce Cor
Amores æternos meritum;
Cui
quisquis hæc legis
Christiano Suspirio
vitam adspira perpetuam.

MEMORIÆ
SANGVINIS
DENHOFFIANI.

Sangvis DENHOFFIANUS
Gemmarum Patria,
Purpurarum Oceanus,
in Duce, Comite STANISLAO,
arescit.
Portentum!
medias inter aquas & Maria *
æstu

* Gedani ad Mare Balthi: moritur.

æſtu abſumi;
affundimus triſti ruinæ,
multa flumina lachrymarum.
S A N G V I S
qui per omnium Europæ Principum,
per omnium Poloniæ Procerum
venas manabat,
frigore mortuali obriguit;
Seſeq; in brevem urceum,
ut pelagus in fretum
arctavit.
Sanguinis DENHOFFIANI
guttæ ſingulæ,
Comitum, Ducum, Principum,
Fons Trabeatus;
Regum Pignus.
Lilia Regni Galliæ,
per
MARIAM LESZCZYNIAM
Chriſtianiſſimam REGINAM
hoc ſanguine reſperſa,

ut rore matutino,
fructum Augusto Thalamo
dederunt.

Reges Leones Hispanici,

Lac istud purpureum
suxêre quondam;
& Vellere Aureo jubati sunt.

Aquila Regum Poloniæ

in MICHAELE primo
& JOANNE Tertio
fastigio DENHOFFIANI Capitis
volavit altiùs.

Mitræ

Saxonicæ, Brandelurgicæ, Curlandicæ, Franconicæ,
Frontem DENHOFFIANAM,
ut suæ Serenitati cognatam
svaviatæ sunt;
imò
totus honor Germaniæ
DENHOFFIIS germanus.

Du-

Duces
WISNIOWIECCII,
CZARTORYSCII, RADZIWILII,
SANGUSZKONES, LUBOMIRII
Noſtro Principes in mærore,
DENHOFFIANÆ Domûs
Regia Facies,
Gentis Decor
Excelſus.
STANISLAUS DENHOFFIUS
VLADISLAO DENHOFFIO
Pomeraniæ Palatino,
&
CONSTANTIA SŁVSZCZANKA
Theſauraride M. D. Lithvaniæ
Patre Honore,
Matre Virtute Natus;
Gloriæ
quamcunq; Honor, & Virtus hæreditat,
Succeſſor olim,
nunc Cinis, & brevibus

* Poëta Polonus. comprensa potentia bustis. *
Quidquid felicitas Cunarum
in
POTOCCIOS, SIENIAVIOS,
JABŁONOVIOS, WIELOPOLSCIOS,
GOSIEVIOS, SAPIEHAS, KĄTSCIOS,
MNISZCHONES, OGINSCIOS,
PACIOS, OSSOLINIOS, ZIENOVICIOS,
CHODKIEVICIOS, ZAŁVSCIOS,
OSTROROGIOS, TYSZKIEVICIOS,
WOŁŁOVICIOS, FIRLEIOS &c. &c.
dispertita:
id totum
Paterno & Materno
à latere,
sic conspiraverat
in DENHOFFIUM:
ut solis radij,
in Orbem Crystallinum.
Una Domus,
Compendium Senatûs;
Unus hâc è Gente Nepos,
Exer-

Exercitus Heroum.
JOANNES CASIMIRUS
DENHOFF,
S. R. E. Cardinalis,
Rerum Cardo Sarmaticarum,
cæcæ Dux Fidei,
Romanis Antiquitatibus
se novam addidit Raritatem
Gemma Antistitum.
Episcop⁹ Livoniæ, Archi-Episcop⁹ Rigensis,
Episcopus Cracoviensis,
DENHOFFII,
suarum Soles Diæcesum.
Dies hæresibus decretoria,
Perillustris Reverendissimus
NICOLAUS DENHOFF,
Canonicus Cracoviensis,
Præpositus Sandomiriensis,
Votum Infularum;
Primarum expectatio Cathedrarum,
ad Aram

DENHOFFIANI Honoris
Antiſtes Magnus.
Vendenſes, Syradienſes, Pomeraniæ,
Połocenſes, Mariæburgenſes
Palatini;
Vilnenſes, Conarienſes &c:
Caſtellani DENHOFFII,
Auſpiciis, Armis, Conſilijs,
Principes Senatûs,
Patres Patriæ,
Fratres natu Majores
Libertatis.
Quilibet DENHOFFIORUM
eâ felicitate Curulim aſcendebat,
ut Noſtrum Phæbus hemiſphærium;
eâ dexteritate, Faſces honorarios
prehendebat,
ut ſui Rex Jmperij, habenas.
Jlluſtriſſimus BOGUSLAUS
Succamerarius & Generalis Artileriæ
Magni Ducatûs Lithvaniæ,

Bel-

Bellorum Arbiter,
Triumphorum Præſes,
Igneus Gradivi Spiritus,
vel Jlle ſolus,
Magnanimitatis DENHOFFIANÆ,
Documentum Jlluſtre.
Tot Regum, Principum, Senatorum,
Pacis bellive artibus
Jlluſtrium Virorum,
multas annorum per Centurias,
hucuſq; ducta *Propago*,
in Duce Comite Palatino
STANISLAO DENHOFFIO,
communi fato intercidit!
unoq;
Sarmatici Statoris in Capite
tantùm non Regnum integrum
jugulatur.
Diem Auguſti pſeudo-ſecundam *
diem nefaſtiſſimam & infelicem!
quâ Ducum Splendor,

* Secundâ Auguſti mortuus.

nulli ſecundus,
ultimam aſpexit lucem.
Celeberrimo
Septemtrionis in Emporio
vitam morte commutavit;
ut plenis Navibus,
integram per Europam,
aſportaretur, dolor Noſter,
irentq́; per maria onerariæ,
non mercibus, aſt gemitibus.
Ereptus DENHOFFIUS
Bonorum omnium luctu maximo.
Sub tempus
Generalium Regni Comitiorum
Sacris Illius Manibus, parentatur:
ut documento fiat,
dolorem
DENHOFFIANIS è fatis
totam pertinere adRempublicam;
& ſicut

Æſti-

Æſtimatione omnium
digna Vita,
ita
comploratione omnium
Digna Mors
D E N H O F F I I.
Sanguis emoritur
DENHOFFIANUS:
Proceres Purpurati intelligite!
ſic Univerſi pallebitis.